

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTIONIBUS MANE DISCUTIENDA.

In Scholis Medicorum die 14. mensis Januarii Anni 1706.

M. JOANNE BAPTISTA FERMELHUIS
Doctore Medico Præside.

An omni alvi fluxui radix Brasiliensis?

I.

SPECIFICORUM nomine apud multos nihil præstantius. Omnem paginam adimplent, artem superant & artifices. Naturæ donum, non laboris pretium. Ambitu suo ac energiâ complectuntur morbi causas, characterem, tempora & eventus, nihilque domino relinquunt quod circumspiciat. His aut omnes, aut peculiares morbi tam promptè, tam facilè sedantur, quasi divinitùs id factum prodigio simillimum videretur. Ne mireris igitur, si horumce remediorum divites, populus novitatis sequax, ut deos titulares veneratur. Quid ultra? Ipsos medentes circumforaneis servire aliquando videmus in artis dedecus! Quot vidimus nostra ætate ex antiquorum thesauris specifica, ut nova inventa emergere, quorum magnum inde non in inventores redundavit nomen, sed in eos qui fuco & audaciâ, illa indiscriminatim ad varias infirmitates sæpissime experti sunt! Quid enim tam absurdum est quod non arrideat populo, si condîtum temeritate offeratur? Rudem populus demiratur, loquaci plaudit, audaci assentitur, & si quid mali commiserint, in medentes refundit. Quantùm in Medico scire convenit, tantùm in Agyrta ignorasse prodest, ut à populo laudari mereatur, & apud quosdam magnates valeat. Ne mireris igitur, si specifico fretus, urbem tam citò suo nomine impleat. Inter hæc specifica primas visa est habuisse partes *radix Brasiliensis*, aliquandiu omnibus alvi fluxibus adhibita. Hujus verò remedii fama te commovet: eventus dispares te ancipitem reddunt? Artis magistros consule. Audies alvi fluxuum dissimiles causas, nonnisi disparibus remediis profligari posse. Norunt tempora & momenta: vires explorant quid ferre valeant, quidve recusent. Horum industriâ huic alvi fluxui prodest remedium, & specificum efficitur, quod alteri lethale foret. Sic corticis Peruviani fama contracta nunc viget; sic opii stupendos felicesque effectus demiramur, *Medicastrorum* temeritate numquam satis metuendos.

II.

SPECIFICI tamen vocabulum apud populum & quosdam magnates plurimum valere mirum non est. Verbis ferè omnes, ac voce delectantur, non rebus. Delirantis Chymici, impudentis Agyrtæ, vociferantis Fratelli, mulierculæ

gatrientis, grunnientis rustici, jurantis militis clamoribus ad cælum usque evehi specifici virtutes & ampliari eventus novum non est, sed experientiâ quotidianâ notum. Nihil in hac urbe frequentius: horum proscriptionibus compita obducuntur; his circumvestiuntur atria domuum religiosarum, quarum in recessu quasi è tripode oracula fundit Hippocrates cucullatus. Est verò alia non minùs metuenda Agyrtæ species. Vis talem tibi adumbrari? Inter viros litteratos sæpissimè viget: ejus enim mens aliorum sententiis ita concinnè decoratur, ut tamquam area diversi, alienique soli floribus micans videatur, modò ea omnia quæ spontè producit, diligenter eradicentur. Florida gens, sed sterilis: aliorum indolem acriter increpans, illosque omnes sigillatim falsè discriminans. Hunc fortasse crederes Medicinæ opibus ditari? minimè. Omni genere scientiarum instructus censetur, Medicus tamen absque medicamentis. Ad ægrotantem accersitus, eum intuetur, & expectat eventus, præterque phlebotomiam, quam ad omnes morbos usurpare solet, nihil illi præscribit. Itaque cave ab illo, qui præterea zelotypiâ afficitur. Nostratum domus nulla, quæ specifici rumore non re sonet, ac nomine Agyrtæ non impleatur. At unius temporis edacitate consumitur populi & magnatum consensu in altum assurgens illorum hominum fama, & labefactatur. Id enim fuit inter illos & veros medentes discriminis, ut quantum in medicis ad artem exercendam laboris, industriæ, vigiliarum, cautionis, prudentiæ, observationis, modestiæ, œconomiæ animalis cognitionis requireretur: tantumdem eorum omnium desideraretur in illis. Sic sentire debuisset, qui primam meam Thesim de illâ materiâ se multo labore castigasse, & novam pro illa confecisse jactitabat: magis concinnâ oratione loqui, qui scribendi meam rationem emendare posse se existimabat, & diligentiùs arti incumbere, qui meam in arte experientiam opusque ementiri ausus est. Cùm tamen Facultas Medica à Baccalaureo decepta, Thesim hanc subditititiam chirographo meo non munitam, me etiam inconsulto, typis mandari permisisset, decrevit me aliam conditurum, quâ me mihimetipsi, Facultati Medicæ, & Publico restituere valerem.

III.

VIS omnium alvi fluxuum causas accuratè cognoscere? Intestinorum constructionem, liquoresque, qui in anfractuosos ipsorum ductus delabuntur, prudenter attendas. In illis non solùm alimentorum relliquiæ committuntur, sed quidquid alieni benemorata sanguinis moles ferre recusat, in illis deponitur ex ultimis corporis finibus. E proximis visceribus, è capite, pulmonibus, hepate, liene, & glandulis mesenterii, è renibus undique accedunt, & in ipsos depluunt post acta diù domestica bella, modò funerati sanguinis, modò subactarum quibus premebatur partium relliquiæ. Hinc mirum non est si prudens de alvi fluxibus diversum sentiat. Nam alvi fluxus in omnibus penè morbis occurrit; nullum morbi tempus affectat; numquam impunè ægrum adoritur. Frequenter solvit morbum. Omni ætate hominem lacessit: vagientem in cunis, dentium eruptionem comitatur, lactis tumultus sequitur, grandiorem hominem omni tempore, omni tempestate cruciat: modò sinceius, modò epidemicus. Hunc aquæ, aër, victus, cælum, labor sævire faciunt. Quis homo sanæ mentis velit omnibus adhibere medicinam eandem? Propterea alvi fluxus interdum canalis morbus, interdum alterius morbi comes aut soboles curandus accedit. Solus artifex novit quod sit inter utrumque discrimen. Qui canalem lædit, quàm varius! quot partes ipsum coagmentant! quot liquida canalem eundo alluunt! Quot huic commolenda, trituranda, diluenda offeruntur alimenta: tot alvi fluxuum species pariunt, si quid vitii contraxerint. Ex iis jam satis, ut opinor, non omnes alvi fluxus eodem remedio profligari posse intelligis,

uno specifico, videlicet *radicis Brasiliensis* usu. Hos ex ordine perlustra, & veritas omnibus scitè ponderatis, illucescet.

IV.

INTER illas alvi fluxûs species, cita alvi dejectio, quam cibus vel liquidus, vel lubricus, vel pinguis, vel multus parit, prima numeratur, & facillimè diætâ curatur, si primo errori alter non accesserit. Ex iis quæ exeunt statui debent profluviorum differentiæ. Si cruda, aquosa, diluta, humentia, colore subalbida, cinerea, graveolentia, idque solo ventris rugitu, vel nullo manifesto torminum dolorisque sensu foras erumpunt, *lienteriam* aut *cæliacam* affectionem jure dixeris. *Cæliacam*, si quæ ejiciuntur levia, æqualia, suique similia, chyli aut cremoris speciem referant: *lienteriam* verò, si inæqualia & dissimilia, cibis nec obtritis nec immutatis confusè secedant. *Diarrhæa* altera alvi fluxûs species: dum genuina est, sinceriorum humorum sine vehementi sensu doloris effluxu, discernitur. Hinc sæpe pituita, aliàs bilis flava, aliàs atra foras purior secedit. Est & intestinorum colliquatio, quæ ad diarrhæam referri potest, in qua quod infernè procedit, quasi adipe & oleo perfusum cernitur. Familiare est hoc profluvii genus pestilenti febri, causo colliquanti, hecticæ, necnon phtysi & atrophiæ, nonnunquam inflammationibus. Diarrhæa senes adoritur. Arescentes fibræ canalis exsiccatæ hanc pariunt, solitis muneribus obeundis impares. Est demum alvi fluxus, qui *dysenteria* dicitur. Cruenta est alvi dejectio cum dolore & ventris torsione: ut hujus causæ variæ, sic species diversæ. Aut mucus intestinorum expellitur, deinde adeps intùs adhærescens exiguo cruore perfusus: eaque prima est dysenteriæ species: altera, cùm interior intestinorum tunica corraditur, cujus pelliculæ & fibræ dejectionibus perfusæ apparent; tertia, cùm altiùs penetrante aut depascente ulcere, ipsa caro, propriaque intestini substantia putris vel exesa procedit; tandem *tenesmus* adest, quo tempore assidua desidendi cupiditas sollicitat, sed quâ nihil ferè præter muscosum quid & subcruentum egeritur. Hæc omnia propriis signis nosse expedit, ut tuta sit curatio; quam ratione causarum, eventuum, progressuum, & ægri virium variè instituendam, & diversis remediis & cautionibus obtinendam prudenter à medicinæ primordiis ad hæc usque tempora judicarunt sagaciores artis Magistri.

V.

QUAMVIS in praxi medica nihil deterius vel magis exitiale, quàm indefinita illa fides quæ plurimis specificis vulgò adhibetur, quibusdam tamen utitur prudens physicus Medicus. Enimverò non solùm *Medicum, sed etiam de terrâ Medicinam creavit Altissimus,* sub diversis speciebus, *à quibus vir sapiens non abhorrebit.* Nonne mercurio lues venerea extinguitur? Cortice Peruviano febres sedari perspicuum est, opio dolores leniri, radice Brasiliensi plurimos alvi fluxus compesci; si opportunè illa omnia sint adhibita. *Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Qui illorum, plurimorumque aliorum virtutes negat, artem ignorat. At multi, inquis, circulatores illis temerè abutuntur in artis magistrorum dedecus, quos imitari conantur? *Quid æmularis pro eis? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Radicem Brasiliensem, urges, omnibus alvi fluxibus indiscriminatim adhibent? Eos aberrare, modestè, ut veri est Medici, probemus. Radix illa est fusci coloris, saporis ingrati, amari, calidi & acris: per vomitum & secessum materiam viscidam deturbat, & post se vim astrictivam relinquit, quâ tonus partium restituitur. An tantæ & tales virtutes omnium alvi fluxûs causarum indicationes adimplebunt? Si diarrhæa valentioribus catharticis inchoata, & catharsi imprudentiùs, aut iniquo tempore cele-

brata ſuperveniens, hancne credis radice illâ ſedari poſſe ? Id malè fecit aliquando exedens medicamentum ; id ſæpe vitioſum & acre alimentum, cujus ſi adurentes fluidioreſque particulæ cruori permixtæ fuerint, ne credas canalis & cruoris vitia radice illâ reparari. Fit aliquando aliarum partium conſenſu, ut in infantibus, cùm dentes prominuli exitum parant, à pituita viſcidiore & acri in ventriculum erumpente. Obſervatum eſt plus vice ſimplici periculoſam peperiſſe lienteriam, quæ ſi curam admiſiſſet, eam radix illa famoſa numquam produxiſſet. Præterea ſi ſit phtyſeos, vel luis venereæ, vel ſcorbuti ſoboles, putaſne illum radice ſanari ? Hujus famâ accerſitus quiſquis ſit, didicit exemplo artificum, illâ non uti, & ſæpiſſimè in aliud tempus reſervare : didicit aliorum monitis & conſilio virtutes radicis munire, & reddere tutiores, venæ ſectione, opiatis chalybeatis, aliiſque quaſi auxiliaribus copiis. Itaque è veteribus ſuis ornamentis & auctoritate plurimùm decidit ſpecificum iſtud; & ſi quæ ſit illius energia, tota debetur artifici, cujus eſt morbum noſſe, notare tempora, modum ſtatuere, definire doſim , & cautiones adhibere.

Ergo non omni alvi fluxui radix Braſilienſis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Nicolaus Andry, Profeſſor Regius.	*M. Petrus Jacquemier.*	*M. Antonius le Moine.*
M. Claudius du Freſne.	*M. Philippus Hecquet*	*M. Guido Creſcentius Fagon, Regi à Sanctioribus Conſiliis, & Archiatrorum Comes.*
M. Antonius le Clerc.	*M. Joannes Baptiſta Chomel, è Regia Scientiarum Academia.*	*M. Jacobus de Bourges.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA PROCOPE CUTEAUX Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. S. R. H. 1706.